PLAUTUS

CODEX

HEIDELBERGENSIS 1613 PALATINUS C.





$600.—

Codices Graeci et Latini

photographice depicti

duce Scatone De Vries

Bibliothecae Universitatis Leidensis Praefecto

Tom. V

PLAUTUS

Codex Heidelbergensis 1613 Palatinus C.



LUGDUNI BATAVORUM

A. W. SIJTHOFF

1900

PLAUTUS

Codex Heidelbergensis 1613 Palatinus C.

phototypice editus

Praefatus est Carolus Zangemeister



LUGDUNI BATAVORUM
A. W. SIJTHOFF
1900

PRAEFATIO.

Codex Plauti Palatinus latinus n. 1613 [1]), olim 'codex alter Camerarii', inde a Pareo 'decurtatus' appellatus, inde a Ritschelio littera *C* signatus, qui est bibliothecae universitatis Heidelbergensis, constat ex foliis membranaceis CCXXXVIII, i. e. fol. 1**. 1—237 [2]), altis met. 0,255, latis met. 0,200—0,204, nisi quod fol. 143 est schedula parva alta m. 0,071, inserta tamen statim ab ipso librario. Recentiore aevo, Romae opinor saeculo XVII, praemissum est folium chartaceum 1*, cuius in fronte inscriptum est *Plau(ti)* nominis principium postea deletum, praeterea numeri *1186* superiusque *1228*, denique his inductis numerus *1613*, videlicet is, quo hic codex secundum ultimum ordinem Palatinis latinis in bibliotheca Vaticana tributum signatus est; eundem ei huc usque servavimus. Folio 1** recto ad angulum sinistrum superiorem inscriptum est: C· 17 517 cuius generis notationes, quae in omnibus fere codicibus Vaticanae Palatinis redeunt, non ad bibliothecae Heidelbergensis catalogum pertinent, sed (id quod me docuit Henricus Stevenson) Heidelbergae a Leone Allatio bibliothecam asportaturo inscriptae sunt eo consilio, ut indicaret cistarum et codicum numeros (cf. Theiner *Schenkung der Heidelberger Bibliothek* 1844 p. 40 et Allatius in *Heidelb. Jahrbücher* 1872 p. 491 n. 23). Haec igitur intellegenda est in hunc modum: *c(assa n.) 17*, *(codice n.) 517*. Conferendi sunt numeri similes, qui in codice 'vetere' Pal. 1612 leguntur memorati a Ritschelio proleg. 1849 p. XXVIII = opp. 5 p. 292. — Opercula haud dubie lignea, quibus volumen olim inclusum erat, non sunt servata; derelicta esse et periisse Heidelbergae vel Monachii a. 1622/23 inde conici licet, quod Leo Allatius praecepto sibi dato (Theiner p. 56) oboediens ponderis minuendi gratia libris plerisque tegumina detraxit, quorum molem Heidelbergae collectam vehes XIII implevisse et pondere XX milia librarum superasse ipse testatur (Theiner p. 26. 64). Operculis illis huius codicis antiquis tam priori quam posteriori flores singulos impressos fuisse vestigia docent, quae in prima et ultima pagina cernuntur. Romae volumen denuo ligatum est compactumque operculis massae chartariae crassae inductis membrana coloris nativi, non ut in aliis Palatinis latinis viridis; eadem ei huc usque manserunt.

Scriptus esse codex mihi videtur saeculo X/XI, idemque Aemilius CHATELAIN *paléographie des classiques latins* fasc. 1 (1884) ad tab. III mecum statuit. Atque scripturas diversas coaevas, inprimis eam, quae altera parte continetur (f. 153 seqq.), accuratius examinanti mihi probabilius adeo videtur sub finem saeculi X quam principio saeculi XI scriptum esse, cuius rei gratia lectorem ad nonnullas illarum paginarum, velut ad f. 195v seqq. et 225 seqq. remittere hoc loco sufficiat. Certe a vero aberraverunt qui olim codicem saeculo XI vel XI/XII vel XII tribuerunt; cf. 'Recensio' l. c. (quam CREUZERUS et WILKENIUS secuti sunt ll. cc.); BOTHE in praef. Plauti ed. Halberstadii 1821 I p. XI, XXV; RITSCHL mus. Rhen. 4 (1836) p. 515 = opp. 2 p. 105 et proleg. 1849 p. XXXI = opp. 5 p. 295; USSING ad Plauti vol. I (Havniae 1875) p. 160. Contra 'vetus' Camerarii (*B*) i. e. Vat. Palat. 1612 [1]) mihi videtur esse paullo recentior

[1]) In libello 'Recensio manuscriptorum codicum' Lipsiae 1803 (de quo vide infra p. IVb adnot. 1) p. 122 errore impressum est 'MDCXVI', eumque numerum inde repetiverunt CREUZER progr. univ. Heidelb. 1815/16 p. 29 et WILKEN *Geschichte der Heidelb. Büchersammlungen* 1817 p. 299.

[2]) Non recte 'pagg. 137' Recensio, 'paginis 273' Creuzer, 'ff. 273' Wilken ll. cc.

[1]) Hoc numero signatus est, non *1615*, quem nescio quis olim ex urbe Roma Ritschelio scribens indicavit (mus. Rhen. 4 p. 513 = opp. 2 p. 102) errore manifesto, sed deinceps a tot editoribus repetito.

saeculoque undecimo tribuendus non decimo, cuius eum esse plerique omnes censuerunt. — In Germania scriptum esse hunc codicem *C* veri est simile propterea, quod ipse Frisingae olim erat (v. infra) nec minus 'veterem' (*B*) et Ursinianum Vat. 3870 (*D*), qui ex eodem archetypo repetendi sunt (v. infra), ex Germania prodiisse constat. Nam illum (*B*) usque ad annum 1512 possederat Martinus Polichius ex Franconia oriundus et *D* saeculo XV 'apud Alemannos' (Ritschel. opp. 2 p. 6) inventus est. Sed de ipso territorio, in quo hi codices conscripti sint, nihil nobis est traditum, nec probabilis de eo coniectura fieri potest inprimis hac de causa, quod huc usque corpore palaeographico caremus, quo codices collecti et digesti sint secundum origines certa ratione stabilitas. Quod utilissimum opus fore ut viri periti unitis viribus mox adgrediantur, sperari eo magis licet hac aetate, qua photographiae ars tam exculta est, ut codicum dispersorum imagines facile nec magno pretio adquiri et inter se conferri possint. — Volumen adservatum fuisse in *Freising* ad Isaram infra Monachium sito docet adnotatio saeculo ut videtur XIV scripta in margine superiore f. 1^R haec: *lib(er) iste e(st) s(an)c(t)e Marie et s(an)c(t)i Corb(inian)i Frisi(n)g(ensis)*, quae eadem in codicibus eius bibliothecae plerisque omnibus adest; cf. Ritschelius mus. Rhen. 4 p. 515 = opp. 2. p. 104. Saeculo XVI fere medio in possessionem transiit Ioachimi (I) CAMERARII (nat. Bambergae a. 1500, mort. Lipsiae a. 1574), qui eum quo iure suum dixerit, non magis compertum est quam quo anno eum adquisiverit; sed hoc constat primam eius mentionem facere Camerarium in prooemio Plauti Basileae per Ioannem Heruagium sine anni nota, sed haud dubie anno 1552 editi (Ri. 2 p. 99), pag. 11, ubi 'adminicula quaedam, inquit, habuimus duorum librorum, veterum quidem illorum, sed quos librariorum inscitia et futilitas foede depravasset. Horum alterum nacti fuimus de bibliotheca praestantis dignitate et doctrina viri Viti WERLERI Franci' [1]). Hic est 'vetus' Vat. Pal. 1612, quem Camerarius iam inde ab a. 1525 apud se servabat, ut ipse prooemio in Plauti comoedias V, ed. Lipsiae a. 1545, testatur [1]); alter quin fuerit ipse hic n. 1613, dubitari nequit (Ri. 2 p. 103 extr.), sed praetulit de origine eius tacere. De poetae editionibus, quae Camerario debentur, deque studiis Plautinis huius viri illustrissimi, qui 'Plauti sospitator' a Rittershusio aliisque, 'unicus Plauti Aesculapius' a Scaligero laudabatur (cf. Ri. opp. 2 p. 101. 107), egregie exposuit Ritschelius, inprimis opp. 2 p. 96 seqq. et 5 p. 311.

Mortuo Ioachimo (I) Camerario anno 1574 ambo codices hereditatis iure transierunt in possessionem filiorum Ioachimi II (1534—1598) et Philippi (1537—1624). Apud hunc Ioachimum Conradus Rittershusius professor Altdorfiensis non solum anno ut videtur 1591 codicem 'veterem' inspexit Querolum fabulam editurus (Ritschel. opp. 2 p. 125), sed etiam 'decurtatum' adhibuit; collatione eius viri Taubmannus et (per Melchiorem Goldast) Pareus usi sunt (Ri. 2 p. 130, 136 seq.). Praeterea eosdem codices apud Camerarium contulit Caspar Scioppius variasque lectiones inde excerptas non paucas protulit 'Suspectarum lectionum' libris XV editis Norimbergae a. 1597 (Ritschel. 2 p. 134). — Anno 1592 Camerarii fratres volumina duo Grutero utenda ad tempus transmiserunt Heidelbergam, id quod docet epistula edita primum anno 1620 (Ri. 2 p. 145 seq., cf. 126) verbis hisce: 'codices Palatinos ante XXVIII annos impetratos sibi (Grutero) Norimbergâ ab optimi parentis minime degeneri prole, Ioachimo ac Philippo Camerariis'. Neque inde redierunt Norimbergam. Anno 1595 Rittershusio Gruterus scripsit (in Querolo edita Heidelbergae 1595): 'Si quando Noribergam, insusurres viris summis D. Ioachimo, D. Philippo Camerariis, frustra esse quod hoc anno suum sibi sperent reducem Plautum, si eius usum mihi esse volunt, ut volunt, utibilem' (Ritschel. 2 p. 125 sq.). Mox empti transierunt in bibliothecam Palatinam, idque factum fuisse inter annum 1595 supra memoratum et 1605 sat notum est his, quae apud Taubmannum ed. 1605 praef. p. VI leguntur: 'Gruterus enim est, qui Mss^tos illos Camerarii, quos Serenifs. Elector Palatinus Fridericus IV ab hæredibus nuper redemtos suae illi Bibliothecae et nunc-regno Gruteriano adiecit, ... labore et studio ... incredibili contulit'. Ex hoc testimonio similibusque eius aetatis aliis Ritschelius opp. 2 p. 126, qui ea collecta exhibuit, probabile esse conclusit, codices duos anno 1602, quo Gruterus bibliothecae praefectus est, ab electore Friderico IV

[1]) Oriundus erat e 'Sultzfeld' Franconiae (cf. Ritschel. opp. 3 p. 81); qui vicus utrum fuerit *Sulzfeld* ad Moenum prope Kitzingen an *Sulzfeld im Grabfeld* inter Königshofen et Schweinfurt situs, non est traditum. Werlero codex dono datus fuerat anno 1512 ab doctore Martino Polichio Melrichstadtensi Franco, primo academiae Wittenbergensis rectore et Pauli Melissi Schedii, 'Germaniae nostrae Phoebi', quondam populari, ut ait Pareus (Ritschel. opp. 2 p. 100). Ceterum memoratu dignum est studia Plautina illa aetate fovisse inprimis homines doctos ex Franconia nunc Bavarica oriundos. Franci enim erant praeter tres viros supra memoratos etiam Ioachimus (I) Camerarius et Taubmannus.

[1]) 'Anni iam sunt XX, cum nactus fui exemplum Plautinum scriptum, sane vetus' et q. s. Cf. Ritschelius opp. 3 p. 78—116.

emptos esse. Sed plura docemur epistulis ineditis, quas detexi in collectaneis Andreae LAMEY, bibliothecarii Mannhemiensis, adservatis Caroloruhae in tabulario publico cod. ms. n. 300[h]. Lameius eas in celeberrima collectione Camerariana ms., quam circ. a. 1770 ipse adquisiverat, repertas ex autographis descripsit, ut ipse ait addens ea extare in vol. XIX n. 330 et 331. Ac bene factum est, quod haec exempla a Lameio diligenter transcripta supersunt; nam litterae ipsae sicut aliae multae collectionis illius, quae nunc Monachii adservatur, iam desiderantur [1]). Epistularum exempla infra subieci:

MELISSUS Ioachimo CAMERARIO 30 Nov. [2]) 1597:

Clarissimo et celeberrimo viro Ioachimo Camerario urbis Norimbergensis Medico ordinario, Amico ut veteri, ita optimo.

Nüremberg.

Vidi exemplaria duo manuscripta Plauti, quae fuerunt patris tui, apud Gruterum nostrum; qui, vix dici potest, quantum laborem exantlaverit. Rogavi hominem, ut, posteaquam illis non amplius uteretur, ea et mihi perlustranda commodaret. Fecit libentissime. Venio autem, Camerari clarissime, eo ut cogitem, num forte annuere velis, ut exemplaria illa ad Bibliothecam Principis Pal. Electoris transferantur, numerato tibi certo pretio; cuius summam, si eius esses animi, adsignari cuperem. Efficerem deinde, ut ea istuc perferretur. Habemus et nos sex manuscriptos codices Plautinos; qui etiamnum apud Gruterum. Contulit etiam Gruterus Senecae tragoedias, usus exemplaribus Palatinis. Commelinus noster typographus, Graece et Latine doctissimus, post uxorem nuperrime fato sublatam et duas filias et filium uno funere elatos, et ipse obiit die Solis 27 Novemb: Haidelbergae. Superstes est filiola unica, quae est in Holandia apud socrum. O mi Ioachime, quot boni libri simul sepulti, ex quo Sylburgius et Commelinus ad plures abiere! Filium tuum Ioachimum amicitiam et avitam et patritam mecum colere velim. Audio illum unâ cum aliis Doctoribus Bibliothecam Principis perlustravisse, me praeeunte et Libros commonstrante; et nomen suum dissimulasse: ita amici postea mihi significaverunt. Vellem se patefecisset. Amo enim vestram familiam; illum vero praecipue ob Poëtices studium, in quo magnos mehercule fecit progressus, et rectâ ad metam currit viâ. Non credo illum ita verecundari, ut me canum et iam fere sexagenarium subterfugiat. Haec ego ad te familiariter. Bene vale, et Clarissimum virum Philippum Camerarium, fratrem tuum, ex me officiose saluta. Dat. Haidelbergae, die 30 Novembris Anno 1597.

[P. Melissi] [1]).

MELISSUS Ioachimo CAMERARIO 14 Mart. 1598:

Clarissimo excellentissimoque viro Ioachimo Camerario I. F. Medico reipubl. Norimbergensis amico veteri.

Filio tuo Ludovico [2]) literas tuas e vestigio Spiram transmisi. Postridie is huc rediit, et Grutero deinde comitatus ad me adiit. Colloquuti sumus de codicibus duobus. Narravi ipsi, ut antea emerimus Graeca volumina manuscripta, 30 paginis in folio (uti loquuntur) pro coronato computatis: in quarto autem 40 paginis itidem pro coronato. Velim autem et ego et Gruterus, ut tu potius pretium indicares, mî Camerari. Atque hoc filium ad te perscripsisse credo: alioqui citius respondissem. Plauti exemplar excusum penes me est. Perlustro. Catalogum ut habeas librorum, a Commelino editorum, viderimus. Nemodum comparuit, qui hereditatem adiret: et domus clausa est, et omnia ceris signata..... [3]) Fratri tuo Philippo salutem plurimam adscribo. Dat. Myrtilleti [4]) die 14 Martii veteris, anno 1598.

Melissus tuus ex animo [5]).

Paullus SCHEDE (Schedius) sive MELISSUS, natus 20 Dec. 1539 Melrichstadtii, bibliothecae Palatinae Heidelbergae praeerat ab a. 1586 usque ad a. 1602. Hoc anno,

[1]) De sylloges eius Camerarianae fatis diligenter exposuit Carolus HALM *Sitzungsberichte der philos.-philol. und hist. Classe der bayr. Akademie der Wissenschaften* (München) 1873 p. 241—272: *Ueber die handschriftliche Sammlung der Camerarii und ihre Schicksale.* Tomus ille XIX nunc signatus est XVIII sive codex Monac. 368 = cod lat. 10368. Eum quod inspicere potui, insigni Georgii LAUBMANN liberalitati debeo.

[2]) Stili veteris; eiusdem sunt dies in sequentibus a Melisso memorati.

[1]) Nomina haec subscripta sunt plumbo in Lameii apographo.

[2]) Ludovicus natus Norimbergae a. 1573, mortuus Heidelbergae a. 1651. Inde ab eodem anno 1598 Friderici IV Pal. Consiliarius Heidelbergae, deinde ab a. 1629 legatus Suecicus erat.

[3]) Quae insequuntur, ad poetas, qui Psalmos aut graece aut latine verterunt, pertinent.

[4]) i. e. Heidelbergae.

[5]) Subiectum est additamentum, quo de Psalmis a se ipso iussu Friderici III Electoris Palatini metrice translatis agit.

quo obiit, ei in munere eodem successit Gruterus. Melissus vir eruditione et arte poetica clarissimus cum Ioachimo Camerario, ex Franconia oriundo et ipso, amicitiae vinculo et studiorum societate coniunctus erat aptusque egregie ad hanc rem peragendam; nec certe non favebat ipsi roganti alterum hoc, quod ipso hoc anno 1598 Heidelbergae Ludovicus Ioachimi filius a Friderico IV electore ad consiliarii munus amplissimum evectus est. Epistulis a Melisso ad eundem Ioachimum scriptis 30 Mart. et 13 Mai. 1598 [1]) codicum eorum nulla facta est mentio, unde veri est simile, negotium transactum iam fuisse probatis a Ioachimo Philippoque Melissi condicionibus. Quod si verum est, pro codice 'vetere', qui est paginarum [2]) 426 in folio, coronati $14\frac{1}{5}$ et pro 'decurtato', qui est paginarum 476 in quarto, coronati $11\frac{9}{10}$ numerati sunt. Coronatum illa aetate auri valore aequasse marcas nostras germanicas circiter novem docuit me a. 1892 Paulus IOSEPH Francofurtensis, rei nummariae peritissimus.

Cimelia duo Plautina postquam bibliothecae publicae Palatinae inlata sunt, adhibebantur praeter alios, inter quos fortasse etiam Salmasius erat, inprimis a Grutero, qui hunc laborem summa industria continuabat, maiore diligentia et iudicio a discipulo eius Philippo PAREO. Illius variae lectiones prodierunt in Friderici TAUBMANNI Franci († 1613) editione secunda (Wittenbergae 1612), curis secundis auctae in Taubmanniana tertia (ibid. 1621), quam Gruterus ipse procuravit. Pareus collationem suam summa pro illius aetatis more accuratione factam exhibuit editione sua secunda anno 1619. De his editionibus doctorumque virorum tunc studiis Plautinis uberrima enarratione egregie commentatus est Fridericus RITSCHL opp. 2 p. 125—152, ad quem remittimus lectores.

Post captam anno 1622 a Tillyo Heidelbergam bibliothecae tres hae: 1) privata electorum Palatinorum, 2) publica, quae tam terrae Palatinae quam universitatis erat, 3) item publica collegii Sapientiae huic universitati adiuncti, Romam asportatae sunt ex dono illo famoso, quod Maximilianus Bavariae dux Gregorio XV pontifici fecit agnatis invitis, contra Ferdinandi II imperatoris iussum (cf. Baehr *Heidelberger Jahrbücher* 1869 p. 5), omnino contra ius publicum privatumque. Leo Allatius, scriptor bibliothecae Vaticanae, Roma Heidelbergam ad donum illud Bavaricum arcessendum missus negotium sibi mandatum summa diligentia et sollertia peregit. Ab Heidelberga profectus est 14 Febr. 1623 una cum plaustris quinquaginta, quibus copias librarias avexit. Monachii his addidit codices eos, quos Bavarii a. 1622 ante ipsius adventum ex Heidelberga eo abduxerant (Theiner *Schenkung* p. 17), in quorum numero fuisse codicem Plauti decurtatum catalogus docet tunc conscriptus, quippe qui non dubium sit quin eum ipsum significet verbis hisce (Theiner p. 84): 'Plautus; in prima facie, liber iste est S. Mariae et S. Corbiniani Frisingensis'. Thesauri Heidelbergenses cistis CLXXXIV conditi Romam pervenerunt 5 Aug. 1623 (Theiner p. 40). In bibliotheca Vaticana saeculis XVII et XVIII numquis hominum doctorum his codicibus Plautinis usus sit, nescimus; quid quod Bothe in Plauti ed. II (Halberstadii 1821) I p. XXV de 'vetere' dixit: 'quo, ut etiam ceteris MSS. Palatinis, quid factum sit, hodie nescitur'; cf. Ritschel. opp. 2 p. 127.

Anno 1797 codex decurtatus inter quingentos illos erat, quos ex pacto pacis Tolentini 19 Febr. eius anni inter Gallos et Papam factae procuratores rei publicae ex Vaticana selegerunt Parisiosque transtulerunt. In catalogo eorum Lipsiae a. 1803 ex actis edito [1]) p. 122 descriptus est verbis hisce: 'MDCXVI. [*sic*] Cod. Membr. in quart. constans pagg. 137. [*sic*] exarat. saec. XI. Continet Plauti Comoedias.' Galli quod hunc praetulerunt 'veteri', id inde puto repetendum esse, quod in bibliothecae Vaticanae 'inventario' hic *antiq(uus)*, decurtatus autem *antiquiss(imus)* dictus erat [2]): ac sane hic veterem aetate ex meo quidem iudicio nonnihil superat, ut supra dixi. Bibliotheca nationalis codicem signavit in f. 1 et 237 colore rubro.

Anno 1815 cum autocratores foederati Parisiis pervicissent, ut marmora, picturae, codices, reliqua, quaecumque ex museo et bibliotheca palatii Vaticani anno 1797 a Gallis ablata erant, Papae restituerentur, Pius VII intercedentibus maxime iis viris clarissimis, qui in Borussia et Austria summae rerum praeerant, concessit, ut codices Palatini, qui praeda illa continebantur, universitati Heidelbergensi redderentur. Quo factum est ut 16 Ianuar. 1816 codices XXXVIII Heidelbergam in pristinam

[1]) Has quoque exhibet Lamey (cod. Carol. n. 300^h ep. 95 et 98), ex autographis vol. XIX n. 332 et 334 a se descriptas esse addens. Posterioris superstes est archetypum (vol. XVIII n. 334), quod contuli.

[2]) Paginas, ut par est, intellegimus facies foliorum singulas, non (ut in 'Recensione' infra adnot. inseq. citata alibique factum est) folia.

[1]) Recensio manuscriptorum codicum qui ex universa bibliotheca Vaticana selecti iussu dni. nri. PII VI pont. m. prid. id. Iul. an. MDCCLXXXXVII procuratoribus Gallorum iure belli, seu pactarum induciarum ergo, et initae pacis traditi fuere. Accedit index librorum tam impressorum quam manuscriptorum bibl. Vatic. ut et vasorum Etruscorum ac numorum iisdem procuratoribus exhibitorum. Lipsiae 1803. 8⁰. pp. 151. Cf. E. MÜNTZ in *Mélanges Havet* 1895 p. 580.

[2]) De ea re post inspectum inventarium monui *Literarisches Centralblatt* 1885 p. 913.

sedem redirent [1]). Fridericus Creuzer ad calcem programmatis academici de certamine litterario in d. 22 Nov. 1815 indicto, Heidelbergae m. Ian. 1816 impressi (in 4^0), exhibuit p. 23—31 indicem codicum ante eorum adventum ac praecipue ex 'Recensione' illa anni 1803 conscriptum. Fridericus Wilken bibliothecae praefectus prorectorque tunc universitatis, qui de thesauris Palatinae recuperandis optime meritus est, relationem ex actis indicemque codicum edidit libro *Geschichte der Bildung, Beraubung und Vernichtung der alten Heidelbergischen Büchersammlungen. Nebst einem Verzeichniss der im Jahr 1816 von dem Pabst Pius VII der Universität Heidelberg zurückgegebenen Handschriften.* Heidelberg. 1817. — Inde ex hoc tempore codex decurtatus pro summa administrationis Badensis liberalitate hominum doctorum usui facile patuit et studia Plautina multum adiuvit, quo factum est, ut nullum poetae eius exemplar manu scriptum iam plenius excussum sit hoc Palatino n. 1613. Inter eos, qui ad hunc codicem curam suam contulerunt, nominandi sunt Fridericus Henricus Bothe (1819/20), inprimis vero Fridericus Ritschl, vir de Plauto ut nemo alter meritus, cui a. 1833/34 'Vratislaviae degenti decurtati copiam Christiani Baehrii comitas fecit', ut ipse ait prolegom. 1849 p. xxxi (= opp. 5,295); ibidem tum Car. Ernestus Chrph. Schneider Truculentum accurate ex codice ipso a se transcriptam programmate academico exhibuit hoc titulo: 'Plauti Truculentus e codice Heidelbergensi expressa', Vratislaviae 1834 (4^0. pp. 39); cf. de hoc libello Fridericus Schoell in praef. ad Truculentum ed. 1881 p. xiv. Iterum Ritschelio codex transmissus est praeparanti Lipsiae Trinummi editionem alteram, quae prodiit a. 1871. Post Ritschelium codice usi sunt inprimis Georgius Goetz, Gustavus Loewe, Fridericus Schoell, quos ille socios editionis suae procurandae adsumpsit (cf. fabularum singularum praefationes), praeterea Otto Ribbeck, Guilelmus Studemund (cuius copias nunc habet Oscar Seyffert Berolinensis), Ioh. Lud. Ussing, Gottholdus Gundermann, alii.

Imagines trium paginarum photographas heliographice optime impressas exhibuit Aemilius Chatelain *paléographie des classiques latins* fasc. 1, Paris 1884, tab. III (fol. 186^v. 43^v) et tab. IV (fol. 86^v). Ad hunc librum collegae carissimo selegi tres paginas, quarum una quaeque diversam scripturam exhibet; praeterea tertiae (f. 86^v) apposita est pagina codicis Ursiniani Vat. 3870 eosdem versus exhibens, ut summa eorum similitudo ostenderetur.

De aetate codicis, de eius mensuris foliorumque numero supra iam dixi; nunc reliqua, quae ad describendum volumen pertinent, commemoranda sunt. Is, qui codicem confecit, sumptibus potius pepercit quam elegantiae luxuriosae consuluit, nam membranas adhibuit speciei diversae, tam tenues quam crassiores, tam albas quam luridas, quin etiam admisit folia non integra, sive quibus pellis non suffecit (fol. 7. 8. 14. 21. 23. 29. 34. 50. 55. 68. 70. 76. 81. 85. 88. 90. 94. 97. 99. 101. 103. 106. 108. 109. 113. 115. 118. 121. 123. 125. 126. 130 133. 137—140. 142 [1]). 148. 155—157. 159. 160. 167. 169. 173. 174. 180. 182, 184. 187. 197. 198. 203. 206. 207. 209. 213. 214. 218. 220. 227. 234. 236) sive deformia foraminibus inde natis [2]), quod locis illis pellis planum animalis ossibus interruptum erat (fol. 130. 138. 140. 145. 155. 156. 199. 200. 231). In operis nitidioris codicibus aut hae pellis partes omnino non admissae sunt aut foramina tenuis membranae schedulis inducta et expleta. — Area inscribenda inclusa est ad sinistram et ad dextram binis lineis, sicco q. v. graphio praeductis (cf. ex. gr. fol. 56) et tam fortiter impressis, ut etiam in septem paginis sequentibus apparere possent; unde est, quod hae lineae tantum in prima et ultima quaque quaternionis pagina ductae sunt. Eodem modo factae sunt lineae XXVI, super quas versus totidem in paginis singulis inscribendi essent (cf. ex. gr. fol. 1** et 153). Photographia, ut consentaneum est, utriusque generis lineas plerumque minus clare in ea pagina, cui impressae sunt, exhibet quam in altero eiusdem folii latere, quippe in quo emineant, i. e. in priore quaternionis parte foliis versis, in posteriore foliis rectis. Ut autem hae lineae IV et XXVI ad regulam duci suis locis accurate possent, iuxta pedem folii foraminum paria bina et ad exteriorem marginem foramina XXVI acu facta sunt tam in primo quam in ultimo quaternionis folio (cf. fol. 15. 80. 119. 152) vel etiam per totum quaternionem (quat. XXVI. XXVII. XXVIII = fol. 201—224). De harum rerum ratione exponendum esse duxi propterea, quod olim non est recte intellecta (cf. Ritschelius mus. Rhen. 4 p. 512). Secundum hanc designationem in plerisque paginis versus XXVI

[1]) Erant codices graeci XXVI (Recensio p. 76, cf. p. 135), latini XII (Rec. p. 120). Nescio quo fato omissus est tricesimus nonus, i. e. Vergilius n. 1631 (Rec. p. 145), nunc denuo in bibliotheca Vaticana adservatus. Codices XXXIX restituendos esse ipse Pontificis legatus, eques de Canova, statuarius clarissimus, Wilkenio scripsit epistula 3. Oct. 1615, cuius autographum in actis habemus (in editione Wilken p. 242 seq. numerum 39 intra ( ) suo Marte adiecit). Praeterea codicis Anthologiae Graecae celeberrimi (Pal. gr. 23) quaterniones ultimi seorsum ligati Parisiis remanserunt.

[1]) De schedula parva f. 143, supplementi gratia inserta, vide p. I[a] et VI[b].

[2]) De his foraminibus minus recte olim iudicatum est; cf. Ritschelius mus. Rhenano 4 (1836) p. 515 = opp. 2 p. 105.

conscripti sunt, in nonnullis tamen librarius aut cis praescriptum areae terminum substitit (ut f. 27^{R}. 39^{R}. 39^{V}. 191^{R}. 196^{R}) aut eum excessit (ut f. 3^{R}. 180^{R}. 193^{R}. 198^{R}).

Vel ipso versuum numero manifesto apparet, quanta huic *C* cum codicibus *B* inprimisque *D* intercedat cognatio. De qua re Ritschelius disseruit in hunc modum (Proleg. p. XXXII = opp. 5, 296): 'Eius (*D*) tanta est cum *C* similitudo, ut non solum aetate, scripturae genere, forma membranarum prorsus gemelli sint, sed etiam versuum distinctione vel potius non distincta continuitate, atque adeo multitudine versuum in singulis paginarum scriptorum. Eiusdem autem Ursiniani [*D*] beneficio patuit, quae utrique codici cum Vetere [*B*] cognationis ratio intercederet. Qui cum per primas comoedias multo quam per posteriores constantius LII versuum in singulis paginis numerum servet, totidem apparuit Ursinianum in binis paginis (quippe senos et vicenos in singulis) perscriptos exhibere: ita quidem ut tres fabulas Amphitruonem, Asinariam, Aululariam LVIII paginae Veteris, totidem autem membranae Ursiniani capiant. Qua quidem congruentia luculentissime probatur ex uno fonte et *B* et *C D* manasse'. Itaque in ea pagina, quam Aemilius CHATELAIN *paléogr.* tab. IV tam ex *C* quam ex *D* effictam repraesentavit, iidem Plauti versus totidem lineis perscripti continentur. Unde patet, quandoquidem neutrum ex altero transcriptum esse constat, archetypum (*P*) librarium utrumque diligenter imitatum esse. Indidem repetendum est, quod idem linearum numerus in Veteris (*B*) paginis singulis qui in horum *C D* foliis singulis scriptus extat. Sed in *P* paginas fuisse versuum XXVI ut in *C D*, non LII ut in *B*, veri simile esse puto propterea, quod in *C* librarius f. 116^{V} primos versus sex folii 115^{V} errore repetiverat, similiterque f. 142^{V}, postquam primum versum exaravit, in praecedens folium aberrans ex eo huc intulit sequentes versus 2—7 (sex, ut loco priore); nam hi errores minus facile explicarentur, si ut in *C* haec mediis potius paginis scripta fuissent. Ceterum accurata illa archetypi imitatio hoc praestabat commodum, ut voluminis scribendi labor, antequam inciperetur, inter complures librarios distribui posset, cum quaterniones singuli numero suo iam signati et partes libri a singulis librariis inscribendae definitae essent. Idque in *C* factum esse arguitur hoc, quod is librarius, qui f. 142^{V} spatium paginae versibus ab hac alienis occupavit nec errorem suum erasis, sicut alter f. 116^{V}, sed inductis versibus correxit, ut spatii dispendium expleret, schedulam inseruit (f. 143); scilicet paginae insequentes duae, totidem manuum diversarum labor, iam antea absolutae erant vel aliorum curae traditae.

Codex compositus est ex quaternionibus XXVIIII, quorum numeri in ultima cuiusque pagina inscripti sunt, et foliis quinque. Numeri illi quin coaevae manui debeantur, nullus dubito. Antea eorum loco inscripti erant alii numeri senis denis maiores, qui mox erasi, sed paucis exceptis adhuc agnosci possunt. Subieci quaternionum foliorumque elenchum, qui utramque numerorum seriem exhibet ac praeterea, quae quaternionum folia bina inter se coniuncta quaeve solitaria sint, indicat.

Pagina, cui numerus inscriptus est	Numerus posterior	Numerus prior [1]	Folia, ex quibus quaternio constat
fol. 7^{v}	·I·	— [2]	1**. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7
15^{v}	II radendo factus ex XUIII	XUIII intra figuram	8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15
23^{v}	III	—	16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23 ordine turbato, qui debebat esse: 16. 18. 19. 17. 22. 20. 21. 23
31^{v}	IIII	XX intra figuram	24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31

[1] Numeros ita erasos, ut prorsus perierint, intra [ ] posui. Numeros vix apparentes ab iis, qui clare agnoscuntur, non distinxi.

[2] Numeri vestigium extat nullum, item in f. 23. 55. 119, cett.

Pagina, cui numerus inscriptus est	Numerus posterior	Numerus prior	Folia, ex quibus quaternio constat
39v	V	XXI· intra figuram	32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39
47v	VI	·XXII· intra figuram	40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47
55v	VII	—	48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55
63v	VIII	XXIIII	56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63
71v	VIIII	XXV·	64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71
79v	·X·	·XXVI·	72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79
87v	·XI·	·a Q ·XX[VII]·	80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87
95v	XII·	b XXV[II]I	88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95
103v	XIII	c XX V[IIII]	96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103
111v	XIIII	d XXX	104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111
119v	XV		112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119
127v	·XVI·	—	120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127
135v	XVII	—	128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135
144v	XVIII·	h · Q · XXX [III]I·	136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143.[1] 144
152v	·XVIIII·	·ı · Q· XXX· V·	145. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152
160v	·XX·	[XXXVI]	153. 154. 155. 156. 157. 158. 159. 160
168v	·XXI·	[XXXVII]	161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168

[1]) Fol. 143 est schedula statim inserta; pagina sequens (fol. 144r), quae alia manu est, fortasse iam antea conscripta erat. Cf. p. VI'.

Pagina, cui numerus inscriptus est	Numerus posterior	Numerus prior	Folia, ex quibus quaternio constat
176v	XXII	ϛ [Q XXXVIII]	169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176
184v	·XXIII·	—	177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184
192v	·XXIIII·	—	185. 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192
200v	·XXV·	Q // XL[I·]	193. 194. 195. 196. 197. 198. 199. 200
208v	·XXVI·	Q XLII	201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 208
216v	·XXVII· [xx in rasura]	Q XLIII	209. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216
224v	·XXVIII·	Q [X]L[IIII]	217. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224
232v	·XXVIIII·	Q XLV	225. 226. 227. 228. 229. 230. 231. 232
—	—	·	233. 234. 235. 236. 237.

Numeri posteriores I—XXVIIII uno tenore eadem manu adnotati sunt, in prioribus autem diversitas scribentium manifesto agnoscitur secundum partes hasce: 1) XVIII. XX—XXII (numeri XVII et XVIIII desunt, sive omissi olim sive desecti); 2) XXIIII—XXVI (XXIII deest); 3) XXVII—XXXV, qui novem quaterniones signati sunt praeterea litteris ab A usque ad I procedentibus addita aliquotiens nota Q i. e. *quaternio*; 4) XXXVI—XXXVIII; 5) XLI—XLV (quat. XXXVIIII et XL carent numero). Nec minus certum est post unum quemque quaternionum fasciculum (i. e. post XXII, XXVI, XXXV, XXXVIII, XLV) diversam in fabulis ipsis scripturam prodire. Codex enim conscriptus est a librariis compluribus, non 'fere aequalibus' (ut Bothio ed. 1821 vol. I p. XI visum erat), sed plane aequalibus, qui viribus unitis suum quisque pensum absolverunt. Totum opus videtur deberi maxime tribus scriptoribus partitumque fuisse secundum quaternionum decades vel fere decades has 1) I—X, 2) XI—XVIIII, 3) XX—XXVIIII, ut tamen earum partes quaedam, praesertim in I—XVIIII, ab aliis rursus librariis in vices succedentibus sint scriptae. Accedunt folia ultima quinque aliam certe manum quam quaterniones praecedentes exhibentia, sed eandem, quae f. 41R versus quattuor hos 19—22, fortasse etiam alia scripsit. Sed singulas manus persequi et ea, quae cuique tribuenda sint, enumerare non est huius loci, praesertim cum quivis, cui libuerit, harum imaginum egregiarum ope indagationis eius laborem obire possit; in quo tamen cavendum est quam maxime ne diversis scriptoribus praepropere tribuantur ea, quorum dissimilitudo tantummodo membranae vel atramenti vel calami diversitate vel etiam varianti animi corporisque statu, quo idem scriptor usus est, nata esse possit. Ac vereor, ne inde ad poetae verba restituenda parum sit redundaturum, cum librarii diversi idem archetypum, parem fere curam adhibentes nec nisi in adiaphoris propria admittentes, depinxerint et adsit geminum eiusdem archetypi exemplar codex *D*, quo comparato quae ex illo repetita quaeve alteri utri (*C* vel *D*) propria sint, longe certius discerni queat.

Comprehensae sunt hoc volumine fabulae XII hae, quarum indicem manus coaeva [1]) in folio primo (1**) praeterea vacuo inscripsit: *Bacchides* (cuius principium periit et

[1]) Fortasse eadem est, quae quaternionum numeros I—XXVIIII scripsit. Certe atramento usa est simillimo.

in archetypo *P* iam deerat), *Mostellaria*, *Menaechmi*, *Miles gloriosus*, *Mercator*, *Pseudolus*, *Poenulus*, *Persa*, *Rudens*, *Stichus*, *Trinummus*, *Truculentus*. Ursinianus *D* his fabulis praemissas exhibet Amphitruonem, Asinariam, Aulularíam Captivorumque partem dimidiam usque ad III 2, 4 = v. 503, *B* autem fabulas priores octo inde ab Amphitruone usque ad Epidicum omnes exhibet, his praemittens Querolum (quae non est Plautina) et post Truculentum subiciens Vidulariae, fabulae vigesimae primae, inscriptionem, sed solam. Atque hunc quoque nostrum *C* 'prius quam *decurtaretur* [1]) omnes fabulas xx complexum esse' Ritschelius docuit opp. 2 p. 13 (cf. opp. 5 p. 295); nam quaternionum XVI numerus ad octo fabularum priorum ambitum bene respondet. Nec dubitari licet, quin is vel ii, qui hoc Plauti exemplar conficiendum susceperunt, hoc sibi vere proposuerint. Sed, ut mihi videtur, fieri potest, ut ad finem opus inceptum omnino non sit perductum, ut igitur fuerint quidem iam quaternionibus versus in singulis scribendi accurate destinati, item numeri inscripti, denique librariis pensa sua tradita, sed deinde causa aliqua effecerit, ut prior fabularum pars prorsus omitteretur. Cuius rei indicia ni fallor adsunt haec. Ac primum quidem numeri quaternionum posteriores (I—XXVIIII) eadem, ut dixi, aetate qua priores inscripti sunt; deinde primum quaternionis XVII (postea I) folium a principio vacuum erat relictum, itaque prior fabularum pars huc usque non erat perscripta. Huc accedit, quod in *D* eadem Plauti pars inchoata est, non autem ultra quartae fabulae versum 503 producta atque codice *B* fabulae quidem octo continentur omnes, sed, id quod ex Ritschelii descriptione proleg. p. XXVIII = opp. 5 p. 293 concludi licet, non opera continua nec uno tenore conscriptae sunt, ut non omnia ex uno eodemque archetypo repetita esse sed alia ex aliis codicibus collecta esse videantur. Hinc coniecerim, illius archetypi, quo *C D* usi sunt solo, partem alteram fuisse tam mutilam vel ob evanidam scripturam tam difficilem lectu, ut *C* opus susceptum abiceret totum, *D* principium describeret solum, denique *B* rei insistens enixius aliis exemplaribus conquisitis fabulas consequeretur transcriberetque omnes.

De fide et auctoritate huius codicis *C* satis est hoc loco breviter memorare rei summam. Plauti restituendi opera omnis nititur, id quod Ritschelius primus demonstravit, genere codicum duplici, quorum unum (*A*) continetur schedis palimpsestis Ambrosianis, alterum (*P*) codicibus Palatinis *B C* et Ursiniano *D*, quibus accedunt schedae deperditae Senonenses, olim lectionibus a Turnebo excerptis, iam plenius notae collatione, quam W. M. LINDSAY repperit et heliotypice edidit [1]); hae vero ex archetypo descriptae erant, qui archetypi *P* fuisse pater vel avunculus videtur. Sicut *A* Palatinis praestat multis locis, ita aliis haud paucis maior auctoritas est tribuenda iisdem inter eosque hic ipse codex *C* interdum solus aut verum servavit aut certe traditam lectionem integritate maiore exhibuit quam ceteri. — Sed redeamus ad eius descriptionem.

Colore rubro distincta sunt pauca haec: fol. 1^R Q prima codicis littera, 2^R LIDVS et I maior, 3^R CHRYSALVS SERVVS et PISTOCLERVS—SERVVS, ibidem initiales litterae maiores E et M, 196^v S prima, in quaternionibus XXVI XXVIIII (f. 201—232) titulus foliorum margine summo scriptus *plauti trinummus* et (inde a f. 220^v) *plauti truculentus*, deinde a f. 203^v scaenarum inscriptio earumque prima quaeque littera (etiam S f. 222^R post versum vacuum, quippe quem miniator scaenae titulo, sicut f. 224^R, explendum esse putaret), f. 220^v Truculenti inscriptio (non autem Trinummi subscriptio praecedens, quae potius atramento scripta est), ibidem *argumentum* et *explicit arg· prologus · incipit.* In reliquis codicis partibus permultas scaenarum inscriptiones litterasque initiales miniator cum pingere omiserit, totidem iam spatia extant vacua.

Correcta sunt multa, sed exceptis iis, quae saeculis XVI et XVII inlata sunt (v. infra), correcta ab ipso librario statim inter scribendum. Cf. velut fol. 63^v; plura composita sunt infra in Indice notarum. Item primae manui tribuendae sunt glossae supra scriptae: fol. 9_3. 13_{15}. 14_{18}. $14^v_{5.22}$. 90_{26}. 114_9. 117_{21}. 119_1. 121_1. 123^v_1. $124_{5.16}$ et res memorabiles adnotatae praemisso *not(a)* f. 65^R. 122^R vel non praemisso f. 89^v. Tam has quam glossas ex archetypo repetitas esse inde patet, quod codex *D* omnes exceptis f. 14_{18}. 14^v_5. 65. 121_1 exhibet, adnotationum autem quattuor f. 65 adscriptarum tertia etiam in codice *B* (m. 2) extat. — Saeculis XVI et XVII a codicis lectoribus nonnulla adnotata sunt, de quibus vide sub finem huius praefationis.

Transeamus ad compendia, conexus litterarum, inter-

[1]) Pareus codicem appellavit 'decurtatum' primum in praefatione editionis II, quae Neapoli Nemetum [i. e. *Neustadt an der Haardt*] a. 1619 prodiit, ubi dixit: 'accessit (veteri codici) alius, quem ea de causa DECVRTATI nomine insignimus, quod duodecim solummodo posteriores contineret fabulas'.

[1]) W. M. LINDSAY *the codex Turnebi of Plautus*, Oxford 1898. Cf. Fridericus LEO *deutsche Litteraturzeitung* 1898 p. 756 et Oscar SEYFFERT *Berliner philol. Wochenschrift* 1898 p. 811. Minus recte iudicavit E. A. SONNENSCHEIN: cf. *Classical Review* 1899 p. 254.

punctionem, accentus, aliaque, quibus librarii ad lectionem explanandam vel verba corrigenda usi sunt. In quibus e re esse visum est varias species omnes, etiam vulgares commemorare, ut plena enumeratione non solum quae adsint in hoc codice, verum etiam quae ab eo absint appareat; nam huc usque ex nullo quod sciam codice nullave codicum stirpe hae res compositae sunt, et in compendiis ad artem criticam adhibendis ab hoc maxime cavendum est, ne quicquam tribuatur ei aetati vel scripturae speciei, a qua omnino alienum erat. Itaque huius praefationis opportunitate usus sum, ut ipso codice toto perlustrato laterculum infra propositum conficerem, cuius utilitas eo quoque pertinet, ut has imagines suppleat et inlustret cum in aliis tum in eis, quae nisi archetypo ipso inspecto discerni nequeant. Exempla in hoc elencho ad rariora adscripta sunt, ad alia eo consilio, ut eorum formae in imaginibus reperiri facile possent. Subieci his, quae de manibus recentioribus huius codicis exponenda esse viderentur.

Compendia.

Nomina personarum per scaenam, cuius principio plene perscripta erant, primis litteris indicata (velut **PIST̃** 2^{v}) hoc indice non commemorantur.

apđ apud **109^{v}** 12, *alibi*

aut̃ autem **2** 6 **3** 26 **18** 8 **89** 12 **140** 20 **211^{v}** 6

-ber] **ƀ** *in* liber **1^{v}** 23 **58** 24 **58^{v}** 6 **79^{v}** 20

-bus] dıeb· **41** 5

cap̃ caput **212** 4

-cit] **c̃** *ut* facit: *vide* -it

c̃ con *ut* c̃ditum **186^{v}** 7 c̃plectar **183** 18 (*sed* cõplectar = complectar **185** 1)

-dem] quiđ **91^{v}** 6

dſ̃ deus **dı̃** dei **146^{v}** 18 (dı *B D*) *Inde etiam* ſedm̃ = sedeum (*pro* sed eum) **97** 7 (Merc. 698)

dn̄o domino **59^{v}** 21

epta epistula

g̊ ergo **2^{v}** 11 **9** 23 **16^{v}** 5 **66** 24 **79^{v}** 14 **82^{v}** 26

ẽe esse

ẽet esset

ẽ est *saepe* (*ut* id ẽ *vel* id ·ẽ·, *sed* idẽ = idem; *quae facile inter se confunduntur, nisi spatium relictum vel punctum interiectum est, ut* **potẽ** (potest) **10^{v}** 9 **17^{v}** 2 **frugiẽ** (frugi est) **10** 14. — ıdeſt *corr. est in* ıdẽ (idem) **48** 3. — *Sic* ẽſt **3** 21 per *errorem* ˉ *non deleto*

et] ⁊ **32** 6 **32^{v}** 19 (*hanc notam alibi in hoc cod. non repperi*)

fac̃ fec̃ *vide* -it

filı' *vide* -us

fr̃ frater **59** 5. 11. 19. 21

gł̃am gloriam **191^{v}** 7

gł̃oſuſ gloriosus **68** *in titulo*

gr̃a gratia **gr̃am** gratiam

h́^{u}c hunc **146** 12

ı̃ in **145** 19 **174^{v}** 15. 16 **151^{v}** 3 *in* ingenua **140^{v}** 6 **ı̃me** in me (*sic B D*) **109** 20 (*in archetypo glossa erat vocabuli* mihi, *v. Pseud.* 372)

-it] ˜ *ut* fac̃ **20^{v}** 13 fec̃ **5^{v}** 3 accip̃ **222** 2 lacerau̇̃ **18^{v}** 11 emigrau̇̃ **85** 52 dix̃ **8^{v}** 8 **62** 21 perdux̃ **145** 11

lıƀ *vide* ber

m] ˜ *vel* ˉ *vel* ˜ (ā, ē, ī, ō, ū) *maxime fine vocabuli.* — *Sic* đa đe đu *pro* dā dē dū *a librario uno alteroque scriptum est, ut* **41** 9. 11. 13. 17. 24 **68** 22 **81** 3 **177** 7 **177^{v}** 5 **179^{v}** 1. 10. 17. 20 **180** 7. 26 **182** 11 **182^{v}** 5. 13 **185^{v}** 19 **186** 20 **186^{v}** 2 **190** 9 **191** 8 **191^{v}** 16 **192** 22 (**184** 4 **quiđe** *i. e.* quidem *correctum est in* **quid ẽ** *i. e.* quid est). *Item* **tu** *pro* **lũ** **87** 12

m̃ men *velut in* mendacium mendicare mensa mensis mentem, limen nomen tamen comprimenda

m̃ſ meus **8^{v}** 11 **18** 21

ṁ mihi *ut* **88^{v}** 1 **144** 14. 16. 17. 19

m̊ modo **36^{v}** 10 **90** 17

noƀ nobis

ñ non

ñc nunc **8^{v}** 13 **26^{v}** 2 **182** 9

—nus] **n'** *velut in* facinus **10^{v}** 1 genus **22^{v}** 1

nom̃ *vide* men

ñr noster **20** 15 **66^{v}** 2 **181^{v}** 13 **nr̃a** nostra **nr̃ıſ** nostris **nr̃o** nostro **nr̃m** nostrum **nr̃oſ** nostros

om̃e omne **om̃em** omnem **om̃ſ** omnes **om̃ı** omni **om̃a** omnia **om̃ıb·** omnibus **om̃ıſ** omnis

ꝑ per

p̓ post **41^{v}** 24 **225^{v}** 25

p̈ prae **41** 11 **96^{v}** 4; *cf.* qua

p̃ prae

ṗ pri *velut in* primum **11^{v}** 2 primus **66^{v}** 1 prius **90** 19 **92^{v}** 11 **174** 10

ꝓ pro

q̈ qua *ut* adloquar **15^{v}** 21 aliqua **90^{v}** 22 quasi **48** 2 **90^{v}** 5 (*nota ex usu antiquiore repetita; cf.* p̈ = prae)

q̄ quae **89^{v}** 1 **205** 16 **210** 15 **215^{v}** 9 **232** 20 **atq̄** (atquae *pro* atque **116** 22 **q̄ſ** *errore pro* **q̇ſ** (quis) **110^{v}** 1

q̃ quae *in* quaeso **146** 12

quam] q̶ *in* umquam **3v** 16 utiquam **128v** 26

q; q, q· (*velut* **74** 4) -que

q̇ qui

qꝁ quia **222v** 21

q̶d quid

q u ı d̶ quidem **91v** 6

q̊ quo *ut* **92** 16 **98** 9; *cf.* quoque, quos

q d̶ *vel* q ƌ quod

-t̃ -ter *velut in* magister **7** 5 propter **7** 11 pater **18v** 22

t tibi **88** 19 **140v** 22 **144** 22; *cf.* mihi

t́ tra **38** 6 (tranio)

q m̃ quoniam **4v** 24. 25 **5** 7 **34** 12 **37** 25 **59** 18 **206v** 5 **212v** 25 **218v** 2. 3 **214v** 23 **217v** 24 **227** 20 (*aliquotiens errore pro* quom)

q ũ o *vel* q u õ quoniam *ut* **5** 4 (— *Bacch.* 299, *ubi cave ne notam esse vocabuli* quom *putes*) **10v** 20 **20** 5 **48** 1 **102** 4 **181** 14

qq quoque **1** r 4 **41** 20v **90v** 14

q̊q, quoque **109** 16 **128v** 4

q̊ſ quos

ſ; *vel* ſ· sed **1** 13 **18** 6 **109v** 15

-runt] r̃ *vel* r̃ *ut* aufer̃ **10v** 7 duxer̃ **17** 20 deliquer̃ **97** 24 ogger̃ **117** 10 conger̃ **117** 18 ıer̃ **145** 16 confutauer̃ **226v** 7

ſıc̃ sicut **9** 6 **49** 22 **146** 17

ſ̃ sunt

ſt sunt **24v** 13 (**2** 18 **31** 6 *debebat esse* ſt *i. e.* est)

-t̃ -ter **9** 3 **229v** 18

tur] t̃pe ſ **24v** 22 ıgıt̃ **24v** 15 .— *Interrogandi signo similis: cf.* **107v** 4

-t̃ -tur *ut* **1** 10 **9** 5 **10v** 10

t tur **49** 9. 20. 21 t̃ (*sic*) **90v** 23 t **98v** 25

-ı' *vide* us

t̶ uel **16v** 22 **134v** 2

u e t̶ **219** 19 (*Trin.* 1131), *ubi* uelis *D* uelit *B*

ũ d a ı uendat **87v** 4

ũ b ı ſ uerbis **16v** 7 ũ b ũ uerbum **21v** 13 **25** 1, *item in* uerberare **33** 17

ů uero **156v** 1 **162** 17 **163** 23 **179v** 16

—uit] -ũ mandauit **22v** 4 legauit **86v** 22 demonstrauit **214** 17

u r̃a uestra **56** 25 **183** 22 u r̃o **136v** 4 u r̃a ſ **180v** 15 v̄ r o ſ **105v** 22

u o b̶ uobis

—us] ' *velut in* cuius eius huius filius opus (o p'ı = opust **8** 3) quantus (**17** 7) u n g u e n t' (unguentus *pro* unguentis) **17** 19. *Errore* o b n o x ı u' (*pro* o b n o x ı') **73** 23 *Pro* ' *est* ꝰ **209** 13 **223** 18, ' *abiit in hanc* ° *formam* **83v** 2 **86v** 22

Conexus litterarum.

æ ae **14v** 10

ę (*exemplis non permultis*); *aliquotiens perperam pro* e *scriptum est*, *ut* accipięm **72** 8 libęt **72v** 12 tę **77v** 16 tandę **84** 24; *unde etiam* aego aessae **73** 23 — Mil. 746 (*archetypi vitio, nam* aego aessae *D*[1] *exhibet*)

& et

ı *conexa praecedenti* h (h,) **9** 23. 24 **9v** 17. 19 **10** 10. 12 **10v** 3. 18
m **9v** 17. 19 **10v** 6. 15 **13v** 14 **14v** 22 **15** 20 **19** 18 **48v** 9 **86v** 22 **87v** 4
n **9v** 24 **13** 19 **15** 11 **17v** 3 **20v** 16 **26v** 23 **48v** 9 **49** 2. 14

Hic conexus in merovingica et langobardica scripturis, velut saeculo VIII, usitatissimus est

m> (mi) **183** 21 *fortasse ex hoc conexu repetendum est*

NS -ns **26** 16

N -nt **24v** 14

Ꝝ -orum **9** 3 **14** 7 **15** 20 **24v** 12 **25v** 12

r t *ligatae ut* **164** 4 **168** 15 **170** 8 (*ab* st *ligatis lineola ex parte summa excurrenti distinctae sunt*)

V~ ur **59v** 11 **60** 7

V̂ us **45v** 4

Interpunctionis notae.

. (*ut* ∴) *ad separanda vocabula, velut* ·ẽ· est, ·ı· **14** 5 *vel* I· **18** 8 *i. e. imperativus verbi 'eo', vel ad haec exempla* ſtulte·ſulte·neſcıſ **18** 15 Iuppıter · ıuno · cereſ · mınerua **14** extr, *ad indicandum finem vocabuli, ut* senem · eo **4v** 5, *vel finem sermonis vel finem membri enuntiationis vel finem lineae*

, **18** 16

; **10v** 20 **11** 3 **12v** 16 **13v** 22 **18** 6 **18v** 8. 9 **24** 8

: **1** 10 (*post vocabulum compendio scriptum* **174** 22)

·/ **221** 4

.~ **174** 22 (*sermonis fine*)

ʃ **10** 14 **11** 17 **14v** 15 **15v** 2. 3 **59** 24. — *Post interrogationem* **13v** 3. 5. 21 **59** 22

: **17** 17

Interrogandi notae. Earum adsunt species quattuor; neque unus idemque librarius una ubique sola usus est (*velut* **11** 2. 3. 12); *fortasse pars earum ex archetypo repetita est, ad quam rem discernendam conferendi erunt codices D et B*

ꝛ 11ᵛ 7. 11. 24 24 9. 16 25ᵛ 16 51ᵛ 12. 14. 16. 17 57ᵛ 13

ꝛ 1 5—7 11 12. 19. 22. 24 12ᵛ 12 13 8 182. *Utraque species interdum sine puncto adhibetur* (*velut* 48 18 119ᵛ 22) *vel sic collocata est, ut a nota litterarum* **-ur** *parum differat*, cf 19 3 **attinet** (attinet?) et 19 1 **utim** (utimur)

14 21

202 8

57 15

10 18 11ᵛ 12 13 8

11 3 82ᵛ 7. 18

49 9 82 18

52 8

47 1

11 2

48 21. 23 *Sine puncto* 48 19

93 16 *Sine puncto* 96ᵛ 19

182 5

93 7

58 1

19 12

Adspiratio, accentus, signa varia ad iustam lectionem indicandam addita.

ͱ = *adspiratio, ut* **teotimum** (theothimum) 5 16 **ospes** hospes 5ᵛ 7 **ͱeu** heu 95 21

áte a te 144 25

dí (= dii) 2ᵛ 1 **patermí** (pater mi) 12 5

mé 48 1

dité (di te) 25ᵛ 15

rerín rerin(e) 19 17

ó 2ᵛ 8 38 18 42 21 59 4 67ᵛ 13 201 1

egó 90ᵛ 10 (*fort.* ' *deletum m.* 1)

picturta *erasae*] **ré** 42ᵛ 1 (' *errore positum, quasi esset* **re** *abl.*; *item errore post erasas* **ta** *neque* ' *neque* ° *deleta sunt*)

largibére (*sic*) 18 25.

béo 42ᵛ 3 (*accentus errore additus, quasi esset* beo *a beando*)

ame (a me) 27ᵛ 8. — *Diversa est ratio lineolae similis non raro additae, velut* **ufféram** 97 7 **occiderét** 202 10 *itemque* 202ᵛ 7 206ᵛ 15 211ᵛ 18 214ᵛ 26 216 16 224ᵛ 20 225ᵛ 25 227ᵛ 9. *Ubi eo consilio supra scripta est, ut littera* e *clarior redderetur.*

em tibi 85ᵛ 1

amet 77ᵛ 16 (*significationis dubiae; item in tribus quae sequuntur*)

argumentū 40ᵛ 13

Heo (*sic* o *pro* c) 98ᵛ 3

exilia if 37ᵛ 8

de mea me 16ᵛ 19 (= Bacch. 1038). *Cum* ' *supra* e, *non supra principium vocabulorum scripta sint, in archetypo fortasse non, ut codicum B D librarii* de me mea *scribentes videntur putavisse, transponendi signa erant, sed notae sive accentus, quibus* de *et* me *vocabula esse, non syllabas significaretur. Itaque* de mea me *in C traditum esse videtur.*

itā 9 10 (*accentus?*)

Si'tibi *ad distinguenda vocabula* 25 25

bellator'erit 48 10 (*separandi causa additum videtur; fortasse tamen in archetypo traiciendi signa* ′ *et* ′ *posita erant, nam in B est:* erit melior bellator erit)

Dit·ede aeque Di te deaeque 28 10 (*item in cod. D*). *In archetypo non dubium est quin nota* · *ad vocabula separanda posita fuerit.*

Separandi lineae in Truculento *m.* 1 *insertae partim ad metrum pertinentes* (cf. Ritschl proleg. p. XXXII = opp. 5, 295; Schoell ed 1881 p. XXXVI adnot. 3):

| 222ᵛ 8 10. 12. 20 23 223 3. 4 228 23 231ᵛ 7—9 233 4. 13. 20 21 234 13. 14 (222 7 *m. rec.*)

‖ 222ᵛ 10

, 223 13 224 20 25 228 22

‿ *ad coniungenda separata, velut* **tormento ruit** 14ᵛ 24 **di uinis** 28ᵛ 21

vel *signum additum, ubi ob spatii angustias ultima versus verba superius vel inferius scripta sunt, velut* 4ᵛ 20 8ᵛ 15 9ᵛ 1. 2 21ᵛ 10 33 16. 25 34 24 34ᵛ 44ᵛ 51ᵛ 182 3 156ᵛ 25. *Hoc signum minus caute pone secundam, quae praecedit, lineam positum est* 33 16

) 44ᵛ 16

. *et* . 110ᵛ 19 **migrare. .dicta** (*lege* migrare dicta)

Notae marginales.

N̊ (*i. e.* nota) *ad marginem sin.*; *in mg. dextro res memorabilis adnotata est* 65. 122

